





Vigesimo quinto Augusti Anhaltinus Princeps, lectis ex toto exercitu peditibus & equitibus aliquot centenis, Lotharingos ad pugnam provocavit, qui viso hoste & ipsi ad arma profiliunt. Ventum est ad manus, pugnam acriter, donec tandem Lotharingi fugam ducentis circiter ex suis desideratis arriperent. Idem, postquam novum diribitorium hostium turbasset, collectis omnibus copiis Molshemum obsedit; obsessi magnâ sese contentione defenderunt. Perierunt in huius oppugnatione Ioann Vlricus Baro in *Hohen Saren*, militari scientia ac fortitudine percelebris, unius legionis chiliarcha: Daniel Dinais Argentinensis legionis Lantianæ, & Christophorus Wolffius legionis Hohenfaxianæ vicarij, alijsque non infimæ notæ milites. Obsessi cum sibi pulverem tormentarium, aliaque ad diuturniorem obsidionem ferendam defuturum cernerent, certis conditionibus oppidum 15. Novemb. dedere. Per eosdem dies Ernestus Fridericus Marchio Badensis, cum mille equitibus & bis mille peditibus optimè instructis, Argentoratum venit, cumque honorificè exceptus esset, Anhaltino se junxit.



Inter alias hostiles velitationes & excursiones cum Anhaltinus Princeps 2. Decemb. Molshemum profecturus Dachsteinum hostile oppidum obviam haberet, ducentorum equitum comitatum secum ducens, fortè fortuna in Lotharingos equites & pedites sic incidit, ut neutra pars alteri cedere potuerit. Pedites Anhaltini iam longiusculè præcesserant; inter equites agnitus Anhaltinus à quodam Lotharingo ictu, sed irritò petitus fuit, Princeps non segnis, impetu in eum facto, ad plures abire iussit. Ferebantur